



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Quomodò transgressores huius praecepti puniuntur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

tolle quod tuum est, & vade &c. Ideò si nūc hoc Deus distribuit proximo tuo, tu debes esse contentus, & nō concupiscere alterius bonum, nec id inuidere ei, quia Deus hoc illi & non tibi concessit, nec ei nocere, aut damnum inferre quouis modo vel in substantia, vxore, familiaribus, domesticis. Qui enim hoc agit, is arguit Deum, quasi non sit æquus & iustus distributor bonorum & donorum suorum, sed vult ipsum docere quomodo bona sua expendat. Ideò prohibet hic Deus concupiscentiam omnium rerum in parte & in toto contra proximum. Ne concupiscas, aut dolò vel fraude tibi vsurpes vel quocunque titulo specioso aut forma, sed sis sorte tua contentus: hæc humilitas maximè D E O placet, atque etiam exigitur. Ideò quod Deus in toto prohibuit præcedenti præcepto, id est, donum proximi vel totā domesticam rem vel officium vel statum, nunc in priuato etiam concupisci prohibet, vt vxorem, seruum, ancillā, bouem, equum proximi: nec quis dicere debet, solam partem cupio rerum proximi, non totum, nihil vicino meo tantillum nocet: est alioqui satis diues & cæt. Ideò quicquid Deus proximo tuo dedit, nec totū nec partem de illo concupiscere debes.

Secundò, concupiscere bona proximi in vanum 2. fit: nec enim ideò habemus, quia concupiscimus, etsi per fas & nefas illud ad nos traxerimus, nihil tamen prodierit, sed plus nocebit, & melius foret quòd nunquam vidissemus in illa proximi bona: nā Deus nullo pacto relinquit hoc peccatum impunitum. Sicut Dauidi 2. Regum 11. nihil proderat, quòd alienam vxorem, id est, Vriæ concupierat & tenuerat: fuit enim paulò post sic punitus, vt filius eius Absalon omnes mulieres Dauidis publicè dehonestaret: & præterea persequebatur patrem, cupiēs eū occidere, 2. Reg. 16. Quid profuit Achab, quòd vineam alienam ipsius

Nabaoth concupiuit & inuasit, 3. Reg. 21. Puniuit eum Deus, & in bello fuit interfectus. Ita hodiè etiam occidit ijs, qui de alienis bonis acquirendis cogitant, vt cum illis omne infortunium simul acquirant. Quoniam igitur concupiscere alterius bona peccatum est, ideo à tali concupiscentia abstinendum est. Nam si quis alium prauertat è domo sua, vel è cenaculis, sic eum punit Deus hìc temporaliter, vt in illa domo nunquam benè illi cedat, quam dolo abstrahit proximo suo: sic de agro aut hortis, vbi tempestat coeli & fulmina deperdüt fructus: similiter de iumentis, equis, bobus, ouibus, porcis, &cæt. quæ sub aut mala morte pereunt, sic in nulla parte aderit illi fortuna. Sic quoque Deus confudit duos illos seniores, qui Susannâ concupiscebant, Dan. 13. Sic vxor illius Aegyptij, quæ concupiscebat Ioseph adolescentem. Quare cuique sinamus quod suum est, quod minus dedit illi, idq; faueamus illi ex corde, quia Deus illi fauet, siue sint diuitiæ, elegans vxor, præstantes equi, &c. Christus ascendit in altum, vt daret dona hominibus: nõ igitur debemus inuidere proximo: nam grauissimum est peccatum inuidentiæ: ternæ gratiæ, est quæ contra Spiritum sanctum, qui distributor est omnium bonorum. Saul inuidebat Dauidi regnum, & turbatus fuit, 1. Reg. 18. sic fratres Ioseph inuidebant, quod à patre plus amaretur, Gen. 37. Sic Chore, Dathan & Abiron inuidebant Moysi sacerdotium, Numer. 16. Sic Satrapæ & principes inuidebant Danieli, quod is à rege præ illis diligebatur, Daniel. 6. Vndè & discipulos suos compescuit Christus, Matth. 20. certantes de sessione in regno cœlorum. Vult ergò Deus vt quisq; sit gratus de acceptis donis pro se, & vt proximo faueat id, quod Deus concessit.

3. Tertiò, quoniam peccatum est, proximi familiariter concupiscere, & verbis aut facto abducere à proximo.